

Fa
2596





INVESTIGATIONEM FINIVM
DIVINORVM CIRCA RES NATVRALES
NECESSARIAM

ADVERSVS

CARTESIVM Princip. Phil. I. 28. III, 2.

TVETVR,

ET

QVATVOR PHILOSOPHIAE MAGISTRIS
HONORES

MERITO COLLATOS GRATVLATVR

SOCIETAS AMICORVM SVB MODERAMINE

VIRI

EXCELLENTISSIMI,

ABRAHAMI GOTTHELF KAESTNERI,

MATH P. P. E. ACAD. REG. SCIENT. SVEC. ET PRVSS. SOC. REG. SC.

GOETT. ACAD. ET INSTIT. SC. ET ART. BONON. SOCIETT.

LAT. IENENS. TEVTT. LIPS. ET IEN.

SODALIS,

DE SENTENTHS CONTROVERSISS DISSERENTIVM

PER

IOANNEM DANIELEM TITIVM A. M.

CONIC. PORVSS.

LIPSIAE D. 8. MART. 1753.

APVD GEORG. GVIL. POUILLARD.

INSTITUTIONAL LIBRARY
UNIVERSITY OF MARYLAND
COLLEGE PARK, MARYLAND

UNIVERSITÄT
Halle

KOEN WRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Fa 2596




VIRIS
CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS,
M. GVILIELMO ABRAHAMO
T E L L E R O,
LIPSIENSI,
M. FRIDERICO GVILIELMO
S O N N E N K A L B,
ANNAEBERGA MISNICO
M. IOHANNI AVGVSTO
L I N S I O,
FRIBERGENSI
M. CAROLO FRIDERICO
M O E C K E L I O,
ANNAEBERGA MISNICO.

A 2

1785
CLARISSIMO DOCTISSIMO
M. GUILIEMO ARKANO
T. F. R. G.
M. FRIDERICO GUILIEMO
S. O. N. N. K. A. L. E.
M. IOHANNI AVOSTO
L. I. S. I. O.
M. CAROLO FRIDERICO
M. O. C. C. E. L. I. O.

VIRI
CLARISSIMI, DOCTISSIMI.


onsulto agimus, atque in praesens facimus, quod
meritis & propensis studiis Vestris erga quemque
nost un debetur. Honores, quibus ornati estis, pro iure ami-
citiae & consuetudinis, quae nobis Vobiscum arctissima est, ad
nos quoque pertinere intelligimus. Quo magis igitur artibus &
ingenio excellitis, & quo pulchriorem ex hac semine messem
ferre aliquando parestis, eo magis nos recreabit Vestra felicitas,
quam Vos olim summam assecuturos, Vestra diligentia & bone-
fissima ad quaevis magna aspirandi cupiditas sperare jubent.
Sustentamus certe hanc spem, Vos meritis & dignitate graues
conspiciendi, quod quidem breui fore, praeter ardorem Vestrum

*Collecti sunt exordium
Lutherici inquit in hanc
in rebus ill. Rob. Boyle
a disquisitione about the
final causes of national
things.*

*cf. q. 9. Schurm in Phys.
Elect. in p. 206. l. 11. 12.
Ja. Razi gloria Dei c. 7
l. 1. p. 1. ante abitur
Elect. in Phys. ad hanc
epitomen l. 1. dicitur aut
veritas elect. in natur.
Luzin.*

indefessum, Praeceptoris nostri humanitas spondet summaque
eruditio, & recentissimum illud exemplum, quo e schola Ipsius &
ex hac ipsa, quae inter nos coaluit, societate, prodidisse cerni-
mus clarissimum MYLIUM, fama, scriptis, eruditione, mo-
do per Germaniam, & plures Europae partes, mox per distan-
tas Indiae occidentalis regiones, quas miraculorum diuinorum
scrutator, hoc ipso anno, salutaturus est, celebratissimum.
Quod ad nos attinet, hoc ipsum, quicquid est operis, breuissimi
otii, nostrae erga Vos voluntatis, amicitiae item & officii, tesse-
ram esse volumus, atque omnia Vobis optamus quam felicis-
sima, inter quae hoc vel praecipuum est, ut ex Vestris studiis
accipiatis eam, quam optatis & meremini voluptatem atque
fortunam. Bene nobis & in posterum velitis, rogamus, &
persuasum habeatis nunquam tam bene Vobis futurum, quin
meliora cupiamus. Valet.

Vtilitatem



Vtilitatem pariter ac necessitatem Teleologiae
Physicae, qui demonstrare cupiant rerum na-
turalium scriptores, huc referunt egregiam illam amplifi-
cationem cognitionis naturalis; modum, quo tollit inanem
multorum hominum superstitionem circa res creatas ipsam-
que idololatriam; notitiam officiorum, quae erga Deum, pro-
ximos, ipsaque etiam bruta nobis praestanda tenendaque
sunt: Addunt, scientiam de finibus rerum creatarum in-
feruire omnibus in erudiendo intellectu, circa res na-
turales

turales et diuinas, in emendanda, et ad virtutes flectenda voluntate, per tot argumenta vbique nos ad id ipsum excitantia; egregiam denique in rebus Oeconomicis, publicis et priuatis, vsum praestare, iuuare item Theologos in explicandis naturae mirandis, quorum scriptura S. meminit, et in scrutandis similiter scopis rerum naturalium; Medicos, in causis morborum tectioribus explorandis, tota item Oeconomia animali melius pernoscenda, recte facienda per res naturales medicina et perficienda Semiotica; Iureconsultos denique in decidendis casibus et controuersis de incantationibus et rebus magicis, et in iure dicundo circa officia et vsus rerum naturalium in vita civili licitos & illicitos. Quibus interdum alia necessitatis huius praestantissimae doctrinae capita accedunt. Profligandi per eam sunt capitales nonnulli eruditorum errores, eorum inprimis, qui de attributis diuinis peruerse iudicant, & subuertendo Teleologiae argumenta, officia hominis, siue erga Deum, siue erga alios, arctis admodum cancellis includunt, si eadem tollere omnino non audeant.

Quid

Quid vero dicendum de iis, qui dari fines rerum naturalium plane negant, quorum omnium fere Princeps habetur SPINOZA, qui *Eth. Prop. 36.* omnia in natura necessaria & perfecta statuens, Teleologiam putat naturæ esse contrariam, tollere Dei perfectionem, præuimque inde formari argumentandi modum ignorantiam iudicantis arguentem. His quanquam facillime argumentis haud contemendis ire obviam possem, me tamen in præsens non mouent, quippe illos rationibus petam, qui non quidem negando fines rerum naturalium, sed improbando earum scrupulum stultitiam suam prodere haud erubescunt. Horum in numero Cartesius agmen quasi ducit, de quo mireris, quomodo in talem errorem incidere potuerit, vt fines rerum statueret non posse nec debere a nobis inuestigari. Contra quem, cum potissimum stilum vindicem expedire in præsens conatus sum, illius verba, quemadmodum in allegatis locis reperiuntur, oportet adducam; nimirum inquit: *Nullas vnquam rationes circa res naturales, a sine, quem Deus aut natura in iis faciendis sibi proposuit, desinemus; quia non tantum nobis debemus arrogare, vt eius consiliorum participes*

nos esse putemus. Hæc alibi repetens, caucamus, ait, ne nimis superbe de nobis sentiamus, quod fieret, si fines, quos Deus sibi proposuit in creando uniuerso, ingenii nostri vi comprehendere posse putarem.

Meum iam est probare: 1) Ipsam necessitatem rerumque naturam hocce finium scrutamen requirere, illudque fuisse finem ferme principem, quem Deus sine dubio in creatione hominis sibi proposuit. 2) Non esse arrogantiam, neque consiliorum Dei inde nos participes futuros, si decenti modo, & quantum nostra interest, fines Dei scrutemur. 3) Cartesium difficile sibi consentire, nonnullaque hinc inde exponere, huic dicto e diametro aduersa. 4) Sententiam illius, si quid veri eidem subest, sine restrictione admitti non posse.

I. Fines Deum, cum mundum crearet, habuisse, nec ii negant, quorum hic aduersarium agere constitui. Interest nosse, an liceat illos, an debeamus scrutari? quod cum aliter, quam per rationem mentisque nostræ facultates fieri non possit, quæstio oritur, ipsane ab intellectus essentia, quo a Deo instructi sumus, obligatio quædam ad ipsas res
natu-

naturales indagandas repetenda sit? Diffitendum non est, nec ipse diffitetur Cartesius, hominibus intellectum a Deo tributum esse, vt admiranda eius opera intuerentur, bonitatem ipsius agnoscerent, ad agendas ipsi gratias impellerentur, ac eius amore incenderentur. Quam primum autem homines ad opera naturæ attenti sunt, ad primam illorum causam ascendunt, & quo circumspectius ad eam accedunt, eo vastiorem atque foecundiorē cognoscendi materiam offiunt, vt multo plura ex iis deducere possint, quam in ipso statim limine ex iis deduci posse videbantur. Nunc potentia diuinæ testes, insignia nunc bonitatis documenta deprehendunt, nunc sapientissimum creatorem cognoscunt, quem omnino, oportet, secundum certos & præfixos fines agere. Deum igitur, qui hominem in summo quasi Naturæ theatro collocavit, vt vndiquaque, quid sibi profuturum, prospiceret, oportuit quoque præuidisse, quod homo fines rerum, ratione non imperuios, iucunditatis pariter ac vtilitatis suæ causâ perquisiturus esset. Quod cum præuiderit, cur intellectu donauit hominem? cur facultatem ipsi concessit, quam sciebat sapientiæ suæ atque voluntati, de sententia puta

Cartesii, contrariam futuram. Nunc vero cum concesserit, necessitati scrutinii circa res naturales ab homine instituendi magnum aliquod pondus accedit, Deum vel secundum ipsum Cartesium ubique sese sapientissimum exhibente. Deinceps non aliam ob causam homo e manibus creatoris exisse deprehenditur, quam vt intellectu instructus rebus naturalibus vteretur, suam præ iis præstantiam agnosceret, & creatorem admirari venerarique disceret. Intellectus igitur homini datus est, vt res obuias intueatur, atque cognitione grauius finarum & iucundissimarum rerum, quas natura suggerit, maiorem continuo perfectionem sibi paret. Non autem perfectio summa paratur per ea, quæ oculis intuemur, quæ manibus palpamus. Ad ea progredi necesse est, quæ a sensibus remota sunt & nisi ratiocinando & colligendo non reperiuntur. In quibus fines rerum naturalium vel primo loco ponendi sunt, partim quod iis excellentius atque insignius nihil concipi potest, partim quod amoenitate, quam secum vehunt, intellectum plurimum occupant, difficultate torquent,

Tandem neglecta finium examine, in rebus naturalibus multa essent nobis incognita que sicut ignales sunt similitudine facta, delecta et excogitata sunt.

& sublimitate perficiunt. Inde Leibnizius, *Qui summus rationum* Curio legit a causa finali, tanquam unico principio, repetens, valde mirari erant, qui causas finales cum Cartesio in Physica reperiunt, cum tamen præ admirationem Divina sapientie, pulcherrimum nobis principium præsentant inveniendi earum quæ res proprietas, quarum in teneri naturarum tam clare nobis cognita est, ut causas efficientibus maxime ubi, machinasque, quæ conditor ad effectus illos producendos finem suum obtinendos adhibuit, explicare valeamus. cf. Acta erudit. a. 1688. p. 106.

Hæc de necessitate huius scrutinii nondum sufficiunt. Sunt plura, sunt graviora, quibus conficere Cartesium statuo. Ius naturæ est scopus Dei in voluntate hominum. Si fines rerum rimari impium, si arrogans est, impium erit & arrogans præcepta naturæ cognoscere, & scire quid faciendum sit, quid omittendum. Quem tandem obligaret ius naturæ? si nemo relationem erga alios, vt in eorum Societate feliciter viuat, in semet ipso sitam deprehendit. Præterea omnis nostra de Deo cognitio, quatenus ratione duce acquiritur, manca, mutila, immo nullius plane momenti esset. Quicquid enim de attributis ipsius nobis ratione innotescit, per naturæ opera propter certum scopum producta nobis cognitum est. Theologia naturalis maximam partem collabesceret, & revelata aliquo adminiculo, ne dicam fundamento, orbata esset. Naturalistis, Deistis, & aliis huius furfuris hominibus, em-pactis reliquis liberum esset aduersus optima morum & religionis præcepta quæuis tentare, & sanctissimis Viris diuino lumine collustratis falsissima laus per sæcula esse tributa, quod interdum maiestatem Numinis atque summa ejus attributa per miranda naturæ illustrauerunt, probaueruntque.

und
 erde
 mlt
 elen
 epin
 er
 188

nefas esset, leges motuum scrutari, corporibus mundi totalibus, qua ire debeant, viam præscribere, & quorum itus reditusque perspicere paucissimis datum est, calculo subigere, & ipforum a se inuicem aberrationes ad ordinem quemdam reducere.

Vt vero his difficultatibus aliquo modo se extricet, diuerticula quærit Cartesius, affirmando, animæ nostræ naturam aliquam cum Deo cognationem habere, & ab eius intelligentia emanationem quandam esse, & diuinæ quasi particulam auræ. Hoc modo ad considerationem cognitionis diuinæ, & ad suspiciendam eius infinitudinem possumus adduci, & ad eius amorem peruenire. Egregia quidem hæc sunt, & Philosopho digna. Tantum autem abest, vt amor ex hac mentis humanæ cum natura Dei cognatione profluens, facilius adquiratur & minor sit eo, qui a consideratione scopi diuini in mundo obuii defumitur, vt contra credam maiorem hoc ipso non dari, neque simpliciorum ad illum perueniendi viam reperiri posse. Res enim quæ in natura occurrunt sentiuntur, & nemo adeo naturam humanam eiurasse putandus est, quin aliquod in illis supremi intellectus vestigium

gium offendat. Quam ob causam Paulus inuisibilia Dei, cuiusmodi est eius sempiterna potentia atque diuinitas, ex mundi opificio considerare iubet, atque intueri opera naturæ, vt ad pleniorẽ illius cognitionem perueniamus.

II. Quamuis in eo nobis cum Cartesio facile conuenit, ingenii nostri vi non omnia comprehendere posse, quæ Deus in creandis rebus sibi proposuit, non tamen sequitur, vt modestum super iis scrutinium arrogantiam spiret atque temeritatem. Namque fines Dei vel perferutabiles sunt, vel imperferutabiles. Illos nosse interest humanæ naturæ, nec sapere aliquis potest, quin omnium rerum, quoad permissum est, peruidere causas efficientes, atque iis connexos scopos a rerum conditore præfixos studeat. Arrogans supra vires se effert. Quare si occulta & penitus abdita Dei consilia non modo rimamur, sed etiam sic tractamus, vt sensu, arrogantia maculam omnino nobis contrahimus; Enimvero nemo prudens hæc sibi sumet, aut vnquam arcana diuina detegi posse credit. Interim non est temeritas, exercere in iis intellectum, quorum cognitio modo ab industria nostra pendet, & ex ipsa rerum natura facile desumitur.

Hæc

Hæc aduersus Cartesium disputata, pariter quoque aduersus præcipuum illius sectatorem ANTONIVM LE GRAND dicta sunt, hoc modo discrimine, quod le Grand ad veritatem magis accessit, & errori suo faciliorem medelam adhiberi fuit. Licet enim *Instit. Philos. de Phys. gen. Cap. 21, n. 1.* neget, homini datum permissumue esse scrutari Dei arcana, addit tamen, permissum causas rerum efficientes inuestigare. Huic nullo negotio occurritur: Si scopos scrutari datum non est nec causas efficientes inuestigare datum est. Parum enim discriminis in præsentî casu intercedit causas inter efficientes & fines, propter quos res creatæ sunt. Deus semper idem est, idem vult, & qui ipsum vt primam omnium rerum causam considerat, fines necessario rerum considerare simul debet. Neque iuuaret Deum, fines, vt consilium condendi mundum cepit, sibi propositos inter arcana reposituisse, vt peccent, qui in illorum inuestigationem nimis anxie incumbunt. Egregia sunt, & allegari hic merentur Siracidis verba: esse regum arcana subditis imperscrutabilia, & nefas in eadem temere inuolare; Dei vero arcana non esse talia, neque a quoque subuerti posse, quamvis vel maxime non sint abscondita. Nihil enim, si diuulgantur Deo metuendum est,

est,

est, qui summam sapientiam ostensurus finem suum obtinebit, ubi amplissimum naturæ campum hominibus conspiciendum præbet, quos, quæ in explicatione naturæ inest insatiabilis e cognoscendis rebus voluptas, & ad mundi vniuersi autorem ducit, & ad rerum ibidem existentium fines.

Quod attinet ad illud, quod Cartesius causas ab efficientibus finales seiungit, acuto ipsum telo pugnare sciendum est, vt scholasticorum impetus, finales rerum causas cum efficientibus mirifice & vbique locorum confundentium, retunderet. Sermone tamen de rebus naturalibus, & præcipue de habitu earum ad Deum conditorem instituto, nemini vitio vertitur, qui idem ab efficientibus expectat, quod præstituras sibi finales causas crediderat. Sic Deum rerum omnium Autorem agnoscendo, illum, largimur, ad creationem non potuisse non rationibus adduci, quo ipso efficientium causarum cum finalibus mira affinitas animaduertitur. Ceterum dixissem, potius homines in eo temeritatem prodituros, si, stultitia magis an fœcordia, incertum, creationis scopum scrutari nollent, non aliter ac si hæc, quibus res naturales subsunt, Numinis decreta vilipenderent, suisque curis & negotiis

C post-

*[magna enim (et cum
melentiose loquar. orat.
de aeth. et geon. Brief.
T. I. p. 258) causa sunt, cui
Deus hoc esse testificatio
nobis proposuit. Nam cum
vidimus in te esse Deum
gubernatorem omnium,
intelligimus ei parendum
esse, agnosimus ordinem ab
ipso in mentibus nostris, et
in politica societate insti-
tum esse, et iustitiam potestate
conseruantium hinc ordi-
nem*

postponerent.) Interim tamen inficiandum non est, innumera
occurrere, de quibus, quas ob causas a Deo ita nec aliter
facta sunt, dicere non possumus, quorum in serutinio eo
vsque non est procedendum, vt Dei consiliorum nos partici-
pes fieri debere putemus. Substitendum est, vbi ratio nos
deficit, bene tamen culta, & continua operatione exercita.

III. Cartesio dixi fecum non conuenire, quod quamuis
ex multis locis deducere posse mihi videor, in praesens tamen
non nisi vnum aut alterum excitabo. Nimirum Princ.
Phil. III. 3. quamuis in Ethicis pium esse dicat, omnia a Deo
propter nos facta, vt nempe tanto magis ad agendas ei gra-
tias impellamur, nullo tamen iure, si sententiam suam saluam
vult, addere debuisset, nos omnibus rebus vti posse ad ingenium
nostrum iniis exercendum, Deumque ob admiranda eius opera
suspiciendum. Quemnam in finem Teleologiae operam damus,
aut quid illa magis nobis praestat, quam quod nobis Deum
omnesque eius proprietates in natura ostendat, & ad laudes
diuinas excitet. Hic supremus ille scopus est, quem in con-
dendo mundo Deus sibi posuit, & quem obseruari in re-
bus naturalibus nunc iubet Cartesius, nunc prohibet. Et
quid

quid tandem aliter innuit his verbis: *non est verisimile res naturales sic propter nos factas, ut nullus alius sit earum usus - - - non tamen dubitamus, quin multa existant vel olim extiterint, quæ nunquam ab ullo homine visa & intellecta sunt, nunquamque ullum usum illi præbuerunt*; Quid inquam aliter innuit, quam in doctrina de finibus rerum probari, Deum in condendis rebus inanimatis alium sibi scopum præfixisse, quam usum hominibus ab earum multitudine expectandum? Multo vero luculentiora sunt, quæ Part. I. 24. de scientia perfectissima, ea nempe, quæ est effectuum per causas, disputat. Iubet nimirum ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatarum explicacionem deduci, ut scientiam hanc perfectissimam acquiramus. Eequid, quæso, nostra hæc sapientissima doctrina aliud facit, quam ut ex cognitione rerum naturalium creatorem, eiusque proprietates, hisque demum cognitis scopum creatoris & voluntatem cognoscere doceat? Quo in loco mirari subit, qui factum ~~est~~, ut acutissimus alias Philosophus in errorem eiusmodi inciderit, ab Huetio pariter prætermissum, statueritque, non causas finales sed efficientes rerum creatarum examinare nos debere. Monui supra, in eo casu, in quo

nunc versamur, idem penitus esse, an finales rerum causas an efficientes indagemus, id quod magis nos in admirationem rapit, cum Cartesius idem videatur intellexisse, & clarissimis verbis proposuisse: *Si Deum, ut causam efficientem, consideramus, videbimus, quidnam ex iis eius attributis, quorum nos nullam notitiam voluit habere - - concludendum sit.* | Caeterum, si quis est, quem hæc adhuc morantur, adire iubetur *Epist. 8, Part. I.* vbi Philosophus de providentia Dei, de potentia, aliisque eius proprietatibus ex immensa vniuersi extensione cognoscendis verba facit, fundamenta ponens ipsam nostram, qua in formam redacta est, Teleologiam haudquaquam decentia; quorsum merito etiam referri possunt, quæ P. I *Epist. 33, 35.* de metu mortis per notitiam Physices profigando & de amore Dei ex solo lumine naturali comparando satis ample pertractat. |

| Eandem prorsus in
sententiam sirocides
ait, Cap. XLIII. 36. Deus
omnia fecit, et piis, ut
intelligant, dedit scientiam.
am.

IV. Si quid tandem veri subest asserto Cartesii, illud restringendum est, ad perfectam omnium Dei finium comprehensionem, quippe quam, omnino imperscrutabilem, neminem sanum, opinor, sibi arrogaturum. Et hos quidem inutili studio rimari nec datum nobis, nec permissum est, neque ad eos

ape-

aperiendos Teleologia nostra physica ducit. Deum enim propter causas agere Cartesius haud quaquam inficiatur, quarum illas, quibus detegendis intellectus humanus sufficit inuestigandas, & in vsus, quos singulares praestant, conuertendas esse demonsttraui. Namque harum in scientiis fere omnibus magna habetur ratio, in doctrina praesertim morali & Theologia naturali. Extendendi limites essent, quos mihi arctissimos praescripsi, si post egregios Doctissimorum virorum labores, horum vsuum prolixiozem mentionem iniicerem. Optandum solum esset, vt interdum fastui hominum eo sapies temeritatis procedenti, vt omnia sui causa facta credat, per exactiorem finium explicationem obex poneretur; Quare utilissimo negotio perfunguntur, qui ostendunt, quam multa ferat tellus nostra gramina, terras, mineralia cet. a quibus ne minimos quidem vsus capiamus, sed quae potius reliquorum animalium victui destinata sunt: Porro nec hominem omnia nosse, quae in remotissimis terrae angulis, & in ipsius visceribus, in supremis caeli locis, in maribus cet. animalia degunt, & quorum fere quotidie noua genera deteguntur. Horum enim omnium vix vlla, aut exigua tantum coniectura nobis

nec
 effectus magis in
 Nabuchodonosor
 inamabile vestitus sapienter
 entis effectum magis
 homini, ut res creata
 fieri videtur. sed res
 sub iudicium rationis
 datum esse.

contingit, quorum tamen causas & fines amplissimos haberi analogia operum diuinorum satis euincit. Secreta videntur, fateor, & captui difficiliora, sed non omnes interdum sensus rationesque effugiunt. In ipsa molestia delectant, & suauivoluptate animum demulcent. Gratum est, magnumque quidpiam nosse Regum & Principum arcana; multo igitur maiori voluptate nos perfundunt summa prouidentiae diuinæ arcana, quorum regundæ feliciter reipublicæ vel secretissima nostra consilia non sunt nisi umbra quædam sterilisque imitatio. Teleologia igitur physica, si vnquam ad summum apicem deduci posse videatur, nostris certe temporibus fieri illud posse non vanus auguror. Habemus enim summos Viros & inspicendarum rerum naturalium peritissimos. Magna nostra est expectatio, si pares illis plures etiamnum habebimus; maior tamen, si habitura posteritas.






Fa 2596







INVESTIGATIONEM FINIVM
DIVINORVM CIRCA RES NATVRALES
NECESSARIAM

ADVERSVS

CARTESIVM Princip. Phil. I. 28. III. 2.

TVETVR,

ET

QVATVOR PHILOSOPHIAE MAGISTRIS
HONORES

MERITO COLLATOS GRATVLATVR

SOCIETAS AMICORVM SVB MODERAMINE

VIRI

EXCELLENTISSIMI,

ABRAHAMI GOTTHELF KAESTNERI,

MATH P. P. E. ACAD. REG. SCIENT. SVEC. ET PRVSS. SOC. REG. SC.

GCETT. ACAD. ET INSTIT. SC. ET ART. BONON. SOCIETT.

IAT. IENENS. TEVTT. LIPS. ET IEN.

SODALIS,

DE SENTENTHS CONTROVERSIS DISSERENTIVM

PER

IOANNEM DANIELEM TITIVM A. M.

CONIC. PORVSS.

LIPSIAE D. 8. MART. 1753.

APVD GEORG. GVIL. POUILLARD.

